



DISPUTATIO V.  
Centuriae Quartae.

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-

CARVM

*In Inchtâ VVittebergensi Academia*

Proposita:

PRÆSIDE

M. IACOBI MARTINI

LOGICES PROFESS.

Publ.

RESPONDENTE

GABRIELE PASTORIS

Szentimonio Vngaro:

*Ad 20. Ianuar. horu à 6. matutinis in auditorio col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus

Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1608.



*Clarissimo & Excellentissimo Viro,*  
Dn. MOSI K. VASARHELINO, RE-  
ctori celebris Scholæ Saros-Patakinæ, longo  
temporis intervallo fidelissimo, Præ-  
ceptoriq; meo æternum aman-  
tissimo:

NEC NON  
*Reverendissimo & Doctissimo Viro,*  
Dn. IOANNI KECZEMETINO, LE-  
ctori ibidem dignissimo, apprimèque ho-  
norandissimo:

ITEM  
*Prudentissimo & Præstantissimo Viro,*  
Dn. IOANNI ILLYRICO, SENIORI  
inibi inculpatissimo, Vitæ integritate lauda-  
tissimo, Affini meo cum suis omnibus,  
semper & ubique devotè observan-  
dissimo:

*Hoc ingenioli mei ἐμῆρον in amoris tesseram meid  
commendationem;*

Reverenter ascribo.



QVÆSTIO I.

Vtrum Propositio singularis in syllogismo  
æquipolleat Vniuersali, an potius Particulari?



*Maximum* † sanè, & gravissimum semper iudicavi-  
mus eorum esse errorem, qui docuerunt singulares  
Propositiones, non Vniuersali, sed æquipollere  
Particulari; unde etiam voluerunt ejusmodi syllo-  
gismum, Omnis homo est animal: Petrus est  
homo. E. non esse in Barbara, sed in Darii.  
Quamvis verò nos propositiones singulares, pri-  
marie non esse Logicas clarè sciamus, tamen in syllogismis sensilibus,  
quoad confirmationem, Vniuersali aptè respondere dicimus: siqui-  
dem, ut hunc syllogismū, Omnis homo est animal. Omnis homo est  
corpus. E. quoddam corpus est animal; Bonum esse pronunciamus:  
ita etiam hunc (quem Philippus Expositorium, Aristoteles verò ex-  
θεσι, Expositionem, quod exponat & demonstret διαθεσιu tertie  
Figura, vocant;) Petrus est animal: Petrus est corpus; E. quod-  
dam corpus est animal; simili ratione valere, singularesque Propo-  
sitiones in syllogismis, propter hæc quatuor præcipue sequentia argu-  
menta, Vniuersalibus, & non particularibus æquipollere asserimus

Ex † puris particularibus nihil sequitur:

Ex puris Singularibus sequitur Conclusio. E.

Minor patet ex Expositione, in qua tantum abest ut non sit ne-  
cessitas Consequentie, quin omnium sit evidentissima, ideòq; etiam p. r  
Expositionem demonstratur, necessitas consequentie in tertia Figura;  
quam Expositio nihil sit aliud, quam Syllogismus ex puris Singulari-  
bus, v. g. Hoc urit: Hoc est ignis. E. Ignis urit.

Illis † Propositio est Particularis, sub cuius subiecto pos-  
test aliquid sui i, de quo non dicatur Prædicatum:

Singularis Propositio non est talis. Ergo.

A 2

Major





*Major patet, quia Universalis Propositio est, sub cuius sub-  
jecto, nihil potest sumi, de quo non dicatur Prædicatum; Particularis  
autem est sub cuius subjecto aliquid sumi potest.*

*Minor etiam probatur, quia quum singulare sit infinitum,  
nihil potest sub ipso sumi, de quo non dicatur Prædicatum, V. G. Pe-  
trus est homo, nihil sub Petro sumitur, de quo homo non prædicetur.*

4. *Sicut + se habet Genus ad Speciem, ita se habet Species  
ad Individuum, quoad prædicationem:*

*Sed Genus Universaliter dicitur de Specie. E.*

*Copulatum probatur, quia in linea Prædicamentali, hæc sunt  
sub se in vicem posita, ut alterum de altero prædicetur Universaliter.*

5. *Latius + de angustiori Universaliter prædicatur:*

*Species est latior suo Individuo. E.*

*Major patet, quia angustius si prædicetur, prædicabitur Parti-  
culariter, vice versa latius universaliter.*

6. *His + ita cognitis facilimè partis adversæ Argumenta solvan-  
tur, quæ hæc duo imprimis pronunciat:*

*Propositio in qua Pars ponitur loco subjecti est Parti-  
cularis.*

*In singulari pars ponitur loco subjecti. E.*

*Majorem illustrant, quod singulare sit Pars ipsius Univer-  
salis, ut Petrus est pars hominis, & est idem quod quidam homo.*

*Verum respondetur per Fall. Æquivoc. quod Pars sit triplex:  
Universalis, Essentialis, & Integralis; si adversarij sumant Partem  
pro Universalis, ut Individuum speciei partem esse dicimus, & speciem  
Generis partem ita pronunciamus, ut Universalem inde, non Particu-  
larem Propositionem efficiamus, totum concedimus: Quapropter et-  
iam ad aliud Objectum, quo hoc pacto instant;*

*Universalis Propositio adjunctum habet, signum Omne  
vel Nullum:*

*Singularis neutrum habet. E.*

*Per Fall. Ignorationis Elenchi, dicendo singulares propositio-  
nes, nolle nos asserere tales Universales, de quibus Major loquitur;  
verum tales, qua ratione conformationis, equipolleant Univer-  
sibus, breviter respondemus.*

*QVÆ*



**QVÆSTIO II.**  
**Vtrum INDUCTIO sit syllogismus, & In-**  
**strumentum Logicum?**

Inductionem † (cujus tantam in probando utilitatem 2. Prior. 1.  
23. dixit Aristoteles, ut ea quæ syllogismo probari nequeant, Inductio-  
ne demonstrari docuerit.) ut etiam Expositionem tantum secunda-  
riò præter syllogismorum Figuras, tradi in Logicis ex eo patet, quod  
Logica sit vel Naturalis vel Artificialis; hæc artificialia, illa vero  
naturalia efformat Instrumenta, quæ omnibus à natura ita nota sunt,  
ut non indigeant arte, quin imò ipsa in arte adhibeantur, tanquam  
normæ ac regulæ, ad quas examinentur Logica & artificialia  
Instrumenta; qualium naturalium Instrumentorum, quedam ex Uni-  
versalibus procedunt, & dicuntur syllogismi naturales, dici de Omni,  
& dici de Nullo; unde etiam Aristoteles non præcepta de his con-  
scripsit, sed tantum ostendit, quomodo ad hæc regulativa Principia,  
tanquam ad Lydium lapidem, probandi sint artificiales syllogismi;  
quædam rursus ex singularibus (ut ἐκ τῶν ἐξ ἑνὸς singulari, ἐκ πάντων  
verò ex omnibus,) progrediuntur, quæ non tam rationis quàm sensus  
sunt instrumenta, quim procedunt ab experientia.

Itaque † primum de ἐκ τῶν ἐξ ἑνὸς in Logicis agitur, tantum ut ap- 2.  
pareat consequentia in tertia Figura; quumque hæc per se sit nota,  
non præcipitur quomodo sit efformanda, sed quomodo syllogismi tertia  
Figura ad ipsam sint examinandi.

Inductionis † verò sit mentio ut appareat sufficientia trium Fi- 3.  
gurarum, quodq; reliquæ omnis Argumentationes, & simpliciter qua-  
cunque fides reduci possit, ad aliquam dictarum Figurarum, Vnde et-  
iam Aristoteles non ostendit, quomodo efficienda sit Inductio, sed quo-  
modo syllogismus ex Inductione sit efformandus.

Esse † autem Expositionem, itemq; Inductionem, † non autem 4.  
artificiales, quàm naturales Argumentationes, sequentibus rationibus  
expediri damus.

1. Omne Instrumentum Logicum procedit ex Univer-  
salibus: Inductio non. E.

Major probatur, quia tota Logica versatur circa Univerfalia;  
Minor autem per se patet.

A 3

2. Nul-



2. Nullum Logicum Instrumentum sensu judicatur: Inductio sensu judicatur. E.

Major patet, quia Logicum, id est, quod in ratione consistit, ex ratione procedit, & à ratione judicatur. Minor autem probatur, partim ex ipso Philosopho, 2. Prior. 23. ubi dicitur, (ut nos etiam paulo ante ex ipso dicebamus,) quod ea inductione probentur, quæ nequeunt aliquomodo demonstrari; partim verò ex eo quod Propositiones in Inductione, ducantur ab experientia & sensu.

3. Si inductio esset syllogismus, esset vel ratione Formæ vel Materiæ.

Sed neutrum est. E.

Non ratione Formæ, quia alia est forma syllogismi, alia Inductionis: Nec Materiæ, quia & hac est diversa, ut 2. Prior. 23. dicitur.

8. Quapropter & his rationibus nunc contenti, ex 6. Ethic. cap. 3. & imprimis 2. Post. cap. 5. ubi expressè dicitur, quod inductio probet quidem non tamen per syllogismum, & inductionem syllogismum esse negamus, & etiam Adversantium sequentia Argumenta hoc modo diluimus.

1. Syllogismus est instrumentum Logicum.

Inductio est syllogismus. E.

Majorem probant ex 2. Prior. 23. ubi Aristoteles ἐπαγωγὴν & συλλογισμὸν ἔξ ἐπαγωγῆς vocat συνώνυμα; Verum nos Minorem negamus, quamvis verò ex Inductione syllogismus fieri possit; non tamen Inductio est syllogismus.

2. Omnis fides est per syllogismum?

Quædam fides est per Inductionem.

Ergo Inductio est syllogismus.

Majorem rursus ex 2. Prior. 23. probant, ubi dicitur ἀπλῶς ἥτις οὖν πίστις, ἢ ἢ καθ' ὅποιαν δὲ μέθοδον διὰ τῶν προθεσμένων γίνονται σχημάτων: hoc est, Omnino quæcunque Fides, & secundum quamque disciplinam fit per dictas Figuras. Minor ibidem probatur: quia omnis Fides aut per syllogismum fit, aut per inductionem.

At nos Majorem intellectam tantum, de syllogismo Logico artificiali, negamus; quoniam plura sint Instrumenta, quibus Fides fieri solet, quamvis hæc ad syllogismum reduci possunt.

3. Quod-



3. Quodcumque à Logico efformatur est instrumentum Logicum:

Inductio à Logico efformatur. E.

*Minorem illustrant, quod Logicus proponat præcepta de Inductione, ut hoc ex Aristotele, Philippo, & aliis patet; Verum nos superius etiam negavimus. Minorem, quod inductio in Logica efformetur; tantum enim ostenditur, quomodo ex ipsa syllogismus fieri possit.*

4. Sicut se habet Enthymema, & Exemplum ad Rhetoricam; ita se habet syllogismus & inductio ad Logicam:

Sed illa sunt instrumenta Rhetorica: E.

*Copulatum probant ex Analy. & Rhetoricis, ubi dicitur quod Enthymema sit syllogismus Rhetoricus. Exemplum verò Inductio Rhetorica.*

*Verum negatur hoc copulatum, quum enim Rhetorica versetur circa finitas quæstiones, id est, certis circumstantiis determinatas ac singulares, admittit probationes ex sensu & ratione: Sed Logica tantum versatur circa infinitas & universales, nec admittit rationes ex sensu ductas.*

5. Quod non est Gramm. nec Rhetorici, nec Philosophi, est Logici:

Sed Inductio nullius est. E.

*Minor: Non Grammatici, quia hic non proponit Instrumenta διαλογικὰ: Rhetoris similiter non, quia is non ex omnibus singularibus colligit, sed ex uno, quæ collectio dicitur τὰς ἀδελφύμα. Nullius etiam Philosophi, quia Philosophus non tradit instrumenta, verum iis tantum utitur; E. inquit, est Logici.*

*Sed nos Majorem negamus, potest enim instrumentum aliquod, nempe Naturale, nullius esse disciplina.*

6. Instrumentum διαλογικόν est Logicum:

Inductio est instr. διαλογικόν. E.

*Major ex Zab. patet, qui λόγον ἢ διαλογικὸν συνώνυμα facit;*

*Minor rursus ex eo loquet, quod in Inductione fit progressus à notiori ad ignotum, teste Aristotele, 2. Prior. cap. 13.*

*Ast hoc etiam loco Major negatur, quandoquidem non omne Instrumentum διαλογικόν sit Logicum, nisi vel ambo communiter accipiantur, pro quovis Instrumento tam naturali, quam artificiali.*

QVÆ-



### QVÆSTIO III.

## Quomodo Substantiæ separatae creatæ intelligant?

1. Initio † circa questionem hanc distinguendum est inter substantias separatas: h. e. inter Deum & Angelos sive intelligentias. In Deum quia accidens non cadit, manifestum est eum per species non intelligere: quod enim de ceteris Dei attributis dicitur, id etiam de intellectu verum est, nempe intellectum divinum esse ipsam DEI Essentiam.

2. Aliter † se res habet in Intelligentiis Creatis, in quibus essentia & intellectus, item, intelligere & esse semper distinguuntur. Nulla siquidem creatura sine aliquo instrumento per seipsam agere potest: sed proxima facultas ad Actionem est Accidens à substantia distinctum. Suarez 18. disp. Metaph. sect. 3. dist. 42.

Deinde Intelligentiæ sunt mutabiles in Actionibus intelligendi, non verò sunt mutabiles in substantia: Est igitur substantia distincta ab actu intelligendi. Atque ita constat intellectum Intelligentiæ creatæ esse potentiam & virtutem, ab essentia eius distinctam.

3. Queritur † nunc quomodo & per quod Principium intelligat? Distinguenda hic sunt objecta. Quæ enim in Intellectum angelicum cadunt, vel sunt necessaria vel contingencia: Sub necessariis continentur: 1. Deus. 2. ipsa intelligentia. 3. reliquæ intelligentiæ & res naturales. Deum itaque intelligit in se, ut in quadam exigua divine celsitudinis imagine, in se vero alia ut in speculo divinam essentiam contempletur. Apprehenso enim & cognitio effectu, aliquomodo etiam cognoscitur causa necessario. Omne siquidem effectum suam causam arguit. Si itaque intelligentia se perfecte cognoscit, per semetipsam, sive per speciem suam, nec non res alias per ingenitas species; poterit etiam suam, & reliquarum rerum primum Authorem cognoscere. Si enim nos possumus ab effectu provenire, quodammodo ad cognitionem cause Primæ & Dei; Ergo modo longè perfectiore ad illam perveniunt Intelligentiæ: quum in illis longe nobilior sit intellectus, quam in hominibus.

4. Deinde † seipsum intelligit ut objectum potentia unitum per semetipsum. Quum enim qualibet intelligentia sit spiritualis, de se  
actu



actu intelligibilis est, & intellectui, quæ Potentia spiritualis est, proportionata. Est igitur maxime proportionata & commensurata proprio suo intellectu. Unde maxime seipsam poterit intelligere, intueri, & comprehendere.

Tandem & alterius speciei intelligentias, ut & alias res omnes creatas naturalesque intelligit per species ingenas. Habet enim à principio omnium rerum scientias & species innatas, & à natura vel potius primo auctore inditas. Sicut enim intelligibilia cognoscuntur per intellectum, ita sensibilia per sensum, unde etiam species non possunt accipi à rebus, nisi per media sensibilia. Intelligentiæ verò non habent sensus, cum sint incorporeæ: Ergo etiam non accipiunt species per sensum à rebus sensibilibus, ut intellectus humanus: sed longe alio & excellentiore modo, nempe per species infusas, suæque essentiæ immediate à prima causa superadditas, intelligunt.

Deinde Modus operandi proportionatur modo essendi: Atque Intelligentiæ habent à corpore separatum modum essendi: Ergo etiam ad operationem & intellectiōnem suam, non simpliciter aut necessario requiritur vel instrumentum corporeum, vel etiam objectum externum.

Ut & ita in his Intelligentiarum creatarum intellectus, quantum ad intelligendi modum, mediam habeat rationem inter intellectum humanum & divinum. Intellectus enim divinus non intelligit, nisi per suam essentiā, quæ est causa Efficiens exemplaris rei: sed intellectus humanus intelligit per species suæ essentiæ superadditas, quæ nempe species recipiuntur à sensibilibus, ita ut scientia hominis causata & mensurata sit à rebus. Intellectus autem intelligentiæ separata intelligit etiam per species, essentiæ suæ superadditas, & res externas representantes: sed ita ut neque scientia illa rerum sit causa; quod de intellectu Divino tantum verum est: neque etiam à rebus sit causata, quod de intellectu humano dicebatur. Atque ita se habet intellectus separatus in rebus necessariis.

In Contingentibus & autem multo alia est ratio. Probabile enim est per illam cognitionem intelligentiam sibi acquirere habitum, qui non sit illa virtus intellectualis, sed similis opinioni humanæ. Atque hoc contingere potest, quando arcana scrutatur, & intelligit aliquid de secretis & internis cogitationibus hominum, aut futuris contingentibus, quorum notitias ingenas non habet: quum non sit omniscius.

B

QVÆ



## QVÆSTIO IV.

Vtrum substantia intellectualis creata interdum intelligat in actu, interdum in potentia?

1. Et hic † principio distinguendum est inter res necessarias & contingentes. Deinde sciendum, & ex Libro 3. de Anima Aristotelis repetendum, Intellectum duplici modo in Potentia esse. Vno ad actum primum, scilicet ad scientiæ habitum, sive ad speciem intelligibilem; alio ad Actum secundum, puta ad deos &c, & considerare secundum habitum, seu speciem intelligibilem.
2. In rebus † necessariis occupatus intellectus substantia separata esse quidem potest in potentia ad actum secundum, nunquam verò ad primum. Cum species illarum rerum habeat naturam suam essentia superadditas, uti id ex Quæstione præcedente manifestum est. Illud inde liquet. Intellectus enim Angelicus non omnia intelligit per unam speciem: sed res diversas per diversas & distinctas ideas. Non igitur omnia simul intelligit actu, sed modo actu hoc, modo illud, aliis interim posthabitis considerat & contemplatur.
3. In rebus † contingentibus quando versatur Intellectus Angelicus, dubium nullum est, quin utroque modo in potentia esse queat. Ad actum primum. Illarum enim species intelligibiles cognitæ non habet; Ad actum secundum, ob rationem, quoad actum secundum fertur, eumque suspendit in necessariis.

## QVÆSTIO V.

Vtrum mobile quod reflectitur, necessario quiescat in puncto reflectionis?

1. Plurimas † & varias de hoc Aristotelis quæstio interpretum posthabendo sententias, dicimus, quum mobile ab externo motore per spatium plenum cietur, nec ei corpus aliquod durum, aliud ve vehementius agens, à quo aliorsum deflectatur, opponitur, semper dari quietem in puncto reflectionis. Sic enim corpus aliquod grave ut tria, quod im-  
pulsus



pulsu sex graduum, per aerem sive aquam in sublimè feratur: huiusmodi ascensui resistunt tres illi gradus gravitatis, & medium; quod quartam partem unius gradus resistantia habet. E. tandem duntaxat impetus ille movebit sursum corpus grave ut tria, quousque imperus adeo debilitetur, ut sit tantummodo ut tria, cum quarta parte unius gradus activitatis: tunc enim inter impulsum, & totam resistantiam ad motum sursum, erit proportio aequalitatis, atque adeo cessabit actio: ac deinceps ad descensum tantummodo impellet gravitas ut tria; resistunt verò tres gradus impulsus, cum quarta parte, mediumq; habet ab una quartam partem gradus, qua descensui obfistit.

Itaque quum à p oportione minoris inaequalitatis, non procedat actio tandem grave eo in loco quiescet, quousque duæ quarta unius gradus impulsus remittantur, incipiatq; impulsus minor esse quàm virtus deorsum trudens.

Hæc tamen tunc procedunt, quum mobile ab externo motore 2. eiciatur; quia si mobile sit vivens, quod à propria sua forma agitur, non est cur tunc in puncto recursus necessariò danda sit quies; Cum enim avis volantulo locum aliquem attingit, nihil sanè cogit asserere, non posse illam immediate post instans, quo ejusmodi locum tenuit, ab eodem recedere. Sic etiam quum mobili in sublimi projecto occurrat descendens corpus durum, aut quodvis agens fortius, à quo in contrariam partem pellatur, non opus est dari quietem in puncto reflectionis. Etenim si grano milii sursum projecto, occurrat magna moles ferrea, haud dubie nulla interponetur quietis mora in puncto, quo milii granum reflectitur; siquid ejusmodi granum molem ferream in medio aere detinere posset quod est perspicue absurdum.

Hoc autem ipsum, non solum quum unum Corpus à superiori loco alteri occurrit, ( ut etiam modo dicebamus, ) sed simul quum quolibet modo unum ad alterum projicitur, ita ut neutrum comprimatur, alterique cedat, maximè valet: quandoquidem si projectum cedat, comprimaturque, poterit aliqua sui parte in puncto reflectionis quiescere; ut videre est in pila ad parietem projecta, sensu enim patet, si superficiem qua pila primò parietem attingit, quiescere in puncto recursus: ipsa namq; post primum contactum impetus versus parietem vi comprimitur, ipsumq; secundum majorem ac majorem suæ superficiæ partem successivè per tingit, quousq; r silite, & parietem successive deserere incipiat





Imò verò in certis quoque mutationibus; licet non perpetuo, tamen ubi fit reflexio, ut plurimum datur quies in puncto; Quandoquidem inter generationem & interitum ejusdem rei perpetuo cadit quies. Substantia etenim gignitur per primum sui esse, interit verò per primum non esse: ac inter primum esse, & primum non esse rei genitæ, necesse est interponi tempus, in quo illa existat; quum Materia non nisi tempore ad aliam excipiendam formam disponatur. Similiter etiam quum aggeneratio & corruptio substantialis ei opposita, accretionem & diminutionem adjunctam habeant, necessario etiam inter accretionem & diminutionem intercedet aliqua quies; siquidem nequit nova forma advenire priore abscedente, nisi inductis dispositionibus, quæ momento inferri nequeunt.

3. Verum † contra hæc omnia videtur imprimis esse Aristotelis auctoritas, in suis Physicis indiscriminatim asserentis, id quod loco movetur & reflectitur, quiescere ubi fit reciprocatio; imò etiam Argumenta quædam in hanc sententiam ab eo allata, idem statuere videntur. At nos cursum brevitate imitando, illa acutum disputatorem longius perpendere volumus. Sunt quidem nonnulli, qui Philosophi auctoritatem hic rejiciant, eumque nimis accuratè Philosophatum esse dicunt; quum quibus tamen nos non consentimus, quin potius statuimus ideo ipsum dari quietem in puncto reflexionis, docuisse, quod majori ex parte dari solet; & licet videatur id ipse universim concludere, non proinde tamen censuisse, ostensum id ab se rationibus firmis, sed probabilibus tantum, & ad veritatis speciem adductis, disputasse.

## QVÆSTIO VI.

Vtrum Aristoteles cognoverit Deum ubique esse?

1. Si certandum † nobis testimoniis sacrarum literarum de DEI ubiquitate esset, labor noster multo faciliori cursu procederet; quum Psal. 138. expressè dicat Psaltes; Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum, ades. Jerem. 23. Cælum & terram ego impleo. Sap. 1. Spiritus Domini replevit Orbem terrarum; & quia multis quum Deus res omnes immediatè conservet, conferendo



ferendo eis esse, & in omni agente immediate operetur, utique oportet eum in omnire creata existere, nec ab ea distare: sed nobis nunc sermo est de Philosophis, præcipue vero de Aristotele; Utrum ipsum non latuerit, Deum toti mundo, singulisque ejus partibus præsentem esse?

Sic autem † existimasse eum, ostendi potest primum ex eo, quod 2. 1. de part. anim. cap. 5. aptè commendat dictum Heraclyti, qui Cassam aliquando ingressus furnariam, quàm ignis hyberni gratia diutius sedisset, ad quosdam se querentes, quos tam vilem ingredi domum pueret: introite, inquit, sunt enim etiam hic DII; quo Exemplo & dicto voluit ostendere, non etiam ab exigua domuncula abesse Deum.

Deinde † verisimile putamus illum Mundi creationem agnovisse, non tamen eam, quam vocant cum novitate effendi, quâ scilicet Deus à primis mundi Originib. res produxit; sed qua ex eternitate ut ipse putabat, Universum condidit. Quod ipsum multa ejus illustria loca ostendunt; ut 2. Rhet. c. 23. asserit Demones esse opus Dei; Et in 2. de Gen. c. 10. t. 58. ait, Deum univrsum omnibus suis numeris concinne, & eleganter perfecisse, veram æternitatem iis, quæ habere poterant, impertiendo. Et in 2. Metaph. cap. 1. tex. 4. docet primam causam esse cæteris causam, ut sint. Quo loco probè animadvertit D. Thomas, Aristotelem, Deum non solum motus, sed ipsarum etiam rerum qua motu cientur causam fecisse.

Præterea eodem ipso Libro cap. 2. probat non dari progressum in infinitum in causis agentibus, sed tandem perveniendum ad unam omnium rerum effectricem causam, putâ, Deum. Rursus 12. Metaph. cap. 7. tex. 38. ait, Cælum & Naturam pendere à Deo: Itemq; cap. 8. tex. 43. Deum absolute Principium, primamq; causam vocat. Quocirca cum ex his, tum vero ex eo, quod nihil primò in rem dista autem agere queat, ut idem 7. Phys. cap. 2. tex. 9. docuit ipsum concludimus, putasse, Deum non cælesti tantum, sed sublunari etiam Mundo adesse, eiusq; primam causam efficientem esse.

Si etiam † Philosophorum sententiæ annumerandæ essent; licet 4. non fuerit hac in re consentiens eorum opinio: Ægyptii etenim Deum in cælesti domicilio, ut in proprio loco statuebant; ideoq; ipsum, ut erant Hieroglyphicis assueti, Cærulea veste indutum, manu altera Zonam, altera sceptrum tenentem pingebant, ut testatur Eusebius lib. 3. de præparatione Evangelica: nimirum Zona, cinguloque admirabilem



vabilem Dei potentiam, quā Univerſa continet & colligat; ſceptro Regiam illius dignitatem; veſte carulea ejuſdem in Cælo habitaculum ſignificantes. Rurſus alii arbitrati ſunt Deum in Centro Mundi eſſe: fortasſe ut inde operationes ſuas, quaſi lineas, ad totam Mundanæ machinæ peripheriam explicaret. Alii denique quorum Iuſtinus Martyr in ſua Parenēſi ad Gentes mentionem facit, Dei ſedem ſphæra ignea, vel ſupremo cæleſtium corporum globo deſinierunt. Verum tamen major multo pars etiam Philoſopharum, Deum ubique eſſe, ac totam rerum Univerſitatem præſentia ſua complere pronunciauit, quod imprimis Orpheus in hymno Saturni, diſertè huic verbis oſtendit:

ὅς πάντας κατὰ πάντα μέγιστος μοιο γένεσθαι: Hoc eſt: Qui omnes Mundi partes habitas generationis Princeps. Pythagoras quoque Deum appellebat, ψυχῶν τῶ πάντων; hoc eſt, animationem univerſi. Ac quidnam etiam eſſet Deus teſte Lactant. lib. 1. cap. 5. ita deſcribebat: Deus eſt animus, per univerſas Mundi partes, omnemque naturam pertinens & diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur animalia vitam capiunt; quod ipſum etiam Vergilius in Georg. ſic expreſſit:

———— Deum namque ire per omnes  
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum  
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum:  
Quemque ſibi tenues naſcentem, arceſcere vitas.

8. Ne verò prolixitatis arguamur, reliquas horum ſententias poſt-  
habendo, ut ſenſus Ariſtotelis nunc declaratus, firmius conſiſtere queat,  
paucis explicabimus ejus loca, quæ in partem contrariam adferri ſolent.  
Ac primum quidem 8. Phyiſic. cap. ultimo text. 84. quum docuiſſet  
duas eſſe poſſimum in Univerſo partes, in quibus Deus maxime eſſe  
videretur, nempe Medium & Circumferentiam, quæ totius ſphære  
principia ſunt; ſtatuit Deum eſſe in Mundi circumferentia, ubi primus  
Orbis rapidiori vertigine circumvehitur.

Verum reſpondeamus cum Thoma ſuper hunc textum 84. Ari-  
ſtotelem, non conſtituere Deum in ſupremo globo cæleſtium ſphærarum,  
quaſi illum eo loco deſiniat ac circumſcribat; ſed quod inibi uberior ac  
illuſtrior ſit ejus operatio, majoremque ſuæ virtutis ſignificationem  
det, ob incitatiffimum in ea cæli parte motum. Item quoque dicen-  
dum eſt ad locum, qui extat 1. de Cælo cap. 3. text. 22. ubi approba-  
commu.



commune Elogium, & consensum mortalium, Deo in caelesti opificio se-  
acm attribuentium.

Porro † 2 de caelo cap. 12. text. 166. Et 2. de Gen. cap. 10. 6.  
text. 56. ait: Corpora quae longè à Deo abscesse et tumultu motu agi,  
esseque interitui obnoxia. Item in libro de Mundo ab Alexand. sta-  
tuit haud quaquam Divinitati consentaneum esse, ut Deus in inferio-  
ris mundi rebus intersit: quod etiam exemplo Regis declarat; qua-  
propter, inquit, si e dignitate Regis minimè foret, Xerxem ad-  
ministrare cuncta, ipsis quae operibus faciendis praesentem ad-  
esse; longe id nimirum minus Deo convenit: quare augustius  
id decentiusque existimandum est, Deum summo in loco esse  
collocatum.

At nos respondemus, in libro de caelo, & Gener. dicendo di-  
stant à accipere Aristotelem, non pro intercapedine spatii, sed pro natu-  
ra dissimilitudine: ita ut illa dicantur à Deo longius distare, quae per  
fectionis gradu ad eum minus appropinquant: Et hoc etiam modo D.  
Augustin. 12. confess. c. 7. scripsit; Deum fecisse unum propè se, id  
est, naturam Angelicam: alteram propè nihil, id est, Materiam pri-  
mam: ubi nullomodo sanctus Pater, de spatii propinquitate aut distan-  
stantia loquitur.

Verum enim vero † locus ille ex lib. de Mundo ad Alexand. plus 7.  
negotii facessere videtur; sunt etenim qui eum Librum, Aristotelicum  
esse negent; sed nos ipsum pro Aristotelico habentes, dicimus ibi non  
absolutè à rebus singulis Aristotelem, Divini numinis praesentiam re-  
movere, sed duntaxat affirmare, Deum non ita rebus omnibus natu-  
ralibus adesse quasi eas per se appropriatè efficiat; sicut ejusdem Ari-  
stotelis dogmatè, Libro 2. de caelo, (licet falso,) primi Orbis motum  
absque alieno ministerio exequitur. Neque item in tota Mundi  
universitate eodem modo esse, licet in tota revera sit; sed in supremo  
Orbe, qui locus excelsior est, & divinior, ut in Regia domo insidere,  
in reliquis verò Mundi partibus, ut in Regno, quod  
tamen Numinis sui praesentia & immensi-  
tate repleat.

QVÆ



QVÆSTIO VII.

Verum Tactus sit simplex, atque unus sensus, veluti visus, & cæteri: An verò plures sint sensus, qui tangendo aliquid participant?

1. Hoc ipsum † dubium ipsemet proponit Aristoteles, 2. de Anima cap. 11. tex. 107. præcipue ob hanc causam, ut demonstret carnem non esse præcipuum & unicum tangendi instrumentum. Non esse autem Tactum unum sensum, Themistius in 2. de Anim. cap. 39. tex. 116. Avicenna libr. 6. natur. quæst. partic. 2. capit. de Tactu: Averroes & Ægidius com. 108. Jandun. quæst. 27. Apollin. quæst. 40. docuerant, & ita ex Aristotele argumentantur.

1. Unus sensus tantum circa unam sui objecti contrarietatem versatur: ut visus circa album & nigrum; Auditus circa grave & acutum; Gustus circa dulce & amarum; Olfactus circa redolens & foetens:

At Tactus non circa unum; sed plura paria Contrariorum versatur, nempe circa calidum; humidum; frigidum; siccum, grave, leve, durum, molle, viscosum, aridum, scabrum, glabrum, crassum, tenue: ut est 2. de Gen. & cor. cap. 2. tex. 8.

E. non est unus simplex sensus, ut reliqui.

2. Qui non unum sed multiplex habet objectum, is unus non est; singuli enim sensus singula habent propria objecta; visus, calores; auditus, sonos, &c. Atqui Tactus non habet unum, sed plura Objectorum genera. E. non est unus sensus.

2. Verum † nos cum Interpretibus Atticis, Simplicio, Plutarcho, Philopono, Thoma quoque part. 1. q. 78. art. 3. Et è recentioribus cum Toletio, Conimb. Libr. de Anim. cap. 11. q. 2. art. 2. & aliis multis, Vnicum Tactum statuendum esse putamus: quod cum Conimb. hoc modo etiam probamus.

Sensus dicitur unus specie ab Objecto: si objectum unam habeat speciei rationem formalem: hanc verò obtinet, si rationem immutandi Organi specie unam vendicet. Atqui ita se habet objectum Tactus. Igitur Tactus est unus sensus secundum speciem.

Minor



*Minor: Quia Qualitates tangibiles, quæ Tactus objek-  
tum sunt, habent modum unum organi immutandi, non solū quia non  
exigunt medium remotum, per quod species trajiciat: sed quatenus in  
in eo conveniunt, quod imitantur complexionem Qualitatum prima-  
rum; quibus animal constat: Unde Tactus sensus etiam Temperamen-  
ti esse dicitur.*

*Nec refert, quod præter quatuor Qualitates primas, alia 3.  
quoque sub Tactum recidant, quarum non est Temperamentum sal-  
tem proximè immutare. Enim vero unitas rationis in immutando or-  
gano Tactus non nisi secundum primas Qualitates estimari debet;  
quum hæc præcipuum Tactus objectum sint: Reliquæ vero secundaria  
tantum ratione ad eum pertinent: Unde jam colligimus, licet obje-  
ctum Tactus materialiter spectatum, non unum sit, sed multiplex, &  
non unum tantum, sed plures contrarietates in se cohibeat: Formali-  
ter tamen si ve prout Tactile est, unum esse, petitâ unitate ab eo im-  
mutandi Organi modo, quem explicuimus.*

*Ex quibus & omnibus concludimus; quum Potentiarum distin- 4.  
ctio, ab Objectis secundum rationem Formalem consideratis sumenda  
sit, rarum manere, Tangendi facultatem unam & non plures esse; Ar-  
gumentâq; opposita hoc modo solvi posse.*

*Tactibilia illa in quæ dolores, voluptates, & similia tendunt,  
vel sunt sensibilia propria Tactus, continenturq; sub quatuor Qualita-  
tibus primis, quæ omnes in modo movendi, ut patet ex jam dictis, sub-  
eunt unam rationem specificam in Ordine ad facultatem tangendi: vel  
sunt communia sensibilia, à quibus Potentiæ distinctio sumenda non est.  
Imò si diversæ hæc contrarietates, diversos facerent Tactus & sensus,  
valeret & illud ipsum in reliquis: Quum & alii sensus, quorum qui-  
libet vere & simpliciter pro uno habetur, plura percipiunt contraria  
Objecta vel plures habent Objectorum contrarietates: ut visus præter  
album & nigrum, percipit etiam lucidum & non lucidum, si ve lumen  
& tenebras; colorem manifestum & obscurum: Auditus præter acutum  
& gravem, grandem & parum sonum, asperam & levem, &c.*

*Verum & ad hæc respondent, quod contrarietates in objectis alio- 5.  
rum sensuum, reduci possunt ad unum commune Genus, si ve ad unam  
primam & principalem contrarietatem, ut cuncta objecta visus refe-  
runtur ad coloris genus, lumen cernitur sub ratione albi, ut Matth.  
17. Vestimenta illius facta sunt alba, sicut lumen: Tenebræ rur-  
sus sub*

C

sus sub



*vis sub ratione Nigri Eodem modo objecta Auditus ad genus soni: Objecta Olfactus ac gustus ad genera odoris & saporis: quod in Tactu fieri nequaquam videmus.*

6. *Replicamus t̄ verò nos, quod quidem allata ratio in nonnullis sit vera, ut in contrarietatibus sonorum; sed non ubiq; cuncta etenim visus objecta, non rectè ad coloris genus ducuntur: secus enim, illud aut erit Physicum aut Logicum, aut Analogicum. Physicum esse d̄beret, quia hic agitur de Physica, & Materiali convenientia: At Physicum non est, quia Partes subjectæ neque in modo, neque in ratione conveniunt; Neque Logicum est, Partes enim neque idem habens nomen, neque secundum illud nomen eandem Definitionem. Analogicum esse potest; quia Lux quandam habet cum albedine Analogiam, ut in singulis ante allatis exemplis patet.*

*Et quod attinet etiam locum Matthæi, non ibi album confertur cum Luce; sed vestimentum album cum lumine; ut sit sensus: Vestimenta illius facta sunt alba, & splendida sive lucida, ut de die lumen apparere solet, quod non est corpus simplex, sed mixtum, & non tantum albedinem, sed lucem quoque in se habet. Fieri enim potest, ut lux & albedo simul sint; Sic Tenebræ non Analogicè, sed Æquivocè dicuntur Nigredo. Tenebræ enim luci opponuntur ut privatio habitui: Nigredo verò albedini, ut contrarium contrario. Potius itaque dicendum est, quod quidem objecta visus Materialiter sint diversa, uniantur verò in Formali ratione, quatenus sunt visibilia: non aliter atque objecta Tactus in eo conveniunt, quod sint tactilia.*

7. *Quæ t̄ omnia ut celtius intelligantur, explicare hoc loco oportet, quid de Dolore & Voluptate, Fame, Siti, & Titillatione, quæ ad Tactum pertinere, & in illo distinctionem speciei arguere videntur, sit statuendum.*

8. *Proinde t̄ in Dolore & Voluptate corporis, duo secundum Conimbr. Libr. 2. de Anima cap. 11. quæst. 2. art. 2. spectari possunt: nimirum Actus ipse dolendi oblectandi ve, & Objecta horum Actuum. Est autem objectum & causa istius doloris mutatio notabilis. facta circa primas Qualitates, ut quum manus aduritur: vel divisio continui, ut quum quis vulneratur: Unde etiam Dolorem desinimus, affectionem sensus molestam, ortam ex solutione continui.*



nui. Objectum autem & causa voluptatis est appulsus Qualitatum maximè convenientium, & attractio subsilientium spirituum & aliarum partium subtilium leniter ablandientium. Atq; hæc obiecta non tantum pertinent ad appetitum sensitivum, sed simul etiam ad Tactum, diversa tamen ratione. Primæ enim Qualitates Tactu percipiuntur, tanquam eius sensibile proprium: ab eodemque percipitur divisio continui, & illapsus ille spirituum, alique motus locales corporum tangentium, non tamen ut sensibilia propria Tactus, sed communia. Pertinent autem omnia hæc ad Tactum, quatenus sunt tangibilia, sicque ejus actum terminant, qui neque dolor est, neque voluptas. Ad appetitum vero sensitivum spectant, sub ratione boni & mali præsentis secundum Actum proprium Doloris & voluptatis.

Eodem tamen etiam modo in Titillatione, duo inveniuntur, horror, 9. quo refugimus atrectationem, & voluptas quadam ac delinitio, que in nonnullis contingit corporis partibus acerrimi sensus, ubi arteriæ multæ suis finibus hiant: ut sub axillis & plantis: ad has enim dum magis rarefcunt, scalptione solent accurrere Spiritus & copia Materia prurientis, que suo actu voluptatem excitat. Hic si sumatur horror siue fuga pro corporis subtractione, tum motus localis est: si pro interno actu, est operatio appetitus sensitivi repudiantis: Voluptas vero similiter ob eandem rationem, ad sensitivum appetitum pertinet. Perceptio tandem motus localis, quo Spiritus & vis prurientis Materia confluit, ad Tactum, tanquam ejus sensibile commune confluit.

Per Famem tamen vero & Sitim, tria potissimum inferuntur. 1. 10. Per Famem divulsio facta præsertim in ventriculo. 2. Dolor ex ea ortus. 3. Appetitio calidi & sicci. Per Sitim. 1. Intemperies ex ariditate nimia in faucibus & ventriculo. 2. Dolor, qui ex illa intemperie nascitur. 3. Appetitio frigidi & humidum. Dolor itaque & appetitio pertinent ad appetitum sensitivum: Divulsio quia est motus localis ad Tactum ut sensibile commune. Intemperies quoque ad eundem ut sensibile proprium. Ex quibus liquet, quod hæc ad multiplicandas species non sufficiant.

### QUESTIO VIII.

Vtrum Bonum rectè definiatur id, quod omnia appetunt?

C 8

Commen-





1. Commendavit + nobis Aristoteles 1. Eth. cap. 1. hanc à veteribus traditam Boni definitionem; jam etiam communi Peripateticae scholae consensione receptam. Et certè Bonum quò Bonum, ex sua Formali ratione, (licet alii secus opinentur,) significat Relationem convenientiam: quandoquidem Bonum sit obiectum appetitus, & unumquodque eatenus appetitur, quatenus conveniens putatur. At istiusmodi convenientiam consequitur appetibilitas, ut propria ejus affectio, habens se ad bonum, ut ad colorem visibilitas: sicut enim color visibilitatis fundamentum est, ita bonum appetibilitatis. Quocirca si bonum ex sua formali ratione spectetur, definiendum erit id, quod cuique conveniens est: si vero expendatur secundum proprietates, quae ipsum consequuntur, quarum una est appetibilitas, recte describitur id, quod omnibus est appetibile. Liquet ergo hanc Boni Definitionem, licet non à priori, tamen à posteriori, ut annotavit D. Thomas aptam concinnamq; esse.

2. Si autem + quis cum Eustathio aliisque nonnullis dicat, hanc Boni definitionem, non competere Bono uni versè sumto; sed supremo duntaxat, quod est Deus: idque propterea, quia non omnia quodvis bonum particulare appetant; non enim ignis appetit bonam valetudinem, quam animal, nec animal supremum locum quem Ignis.

3. Nos tamen + respondemus cum Thoma in hunc locum, hanc Definitionem aptè suo modo summo accommodari posse bono. Quò enim omnibus rebus ingenta sit inclinatio ad bonum, omnisque actio in bonum feratur; & omne bonum sit quaedam summi boni participatio, consequens est, ut omnia quodammodo in summum bonum tendant. Quia vero haec duntaxat virtute, & implicite appetendi ratio, ideoque recondita est, ac non ita propria, minusque Definitioni apta; de hac non ita propriè videtur allata Definitio intelligenda. Quod ipsum ex Aristotele ostendi potest, quia in eodem capite, quo Definitionem hanc tradit, explicans, quam ratione omnia appetant bonum, & quodnam bonum id sit? docet ex finibus & bonis quae appetuntur, alia amabiliora esse, alia minus amabilia. Itaque nomine Boni quod appetitur, non summum bonum duntaxat, sed alia etiam peculiaria bona designat.

4. Quod autem + quidam propterea hanc Definitionem minus approbent; quia homo non bona tantum, sed etiam mala turpiaque appetat; nihil illi obstabit qui dixerit, sapè nos appetere quae reipsa mala sunt



sunt, ut tamen aliquam boni speciem induant. Vnde etiam Aristoteles 2. Phys. cap. 3. text. 31. docet, in iis quæ optamus nihil referre, num ea bona sint, vel bona appareant. Et 1. Pol. cap. 1. ait, ejus quod videtur bonum esse, gratia omnia omnes agere.

Nec obstat nobis † Definitio Diogenis Stoici, qui Bonum esse 5. dicit id, quod est natura absolutum; siquidem hæc potius est Definitio Perfecti, quàm Boni: id enim rite Perfectum appellamus, quod quæ tale absolutum est in natura, seu ut alii apertius declarant, cui nihil deest, vel simpliciter, vel in suo genere. Itaque Bonum & Perfectum etsi apud Theologos, & etiam Philosophos sæpè pro eodem usurpentur, differunt tamen inter se: quod bonum si secundum suam formalemq; rationem spectetur, significet Relationem convenientis: Perfectum verò (intellige ut est quid transcendens & ut cum ente reciprocatur,) importat negationem Defectus modo jam explicato.

Verùm † multò adhuc firmitus instare videntur, qui dicunt, bonum per id posse appositè declarari, quid ad ejus rationem maxime pertineat, sed ad rationem boni maxime pertinet, seipsum diffundere & communicare. Igitur Bonum debuit definiri, id quod se diffundit, seu quod est diffusivum sui. Minorem probant in primis auctoritate Dionisi, c. 4. de Div. nom. Deinde, quia videmus, quanto aliquid eminentiorem naturæ gradum obtinet, tanto universaliorem habere se communicandi appetitum, suamq; bonitatem latius diffundere. Nam imperfecta in peculiare bonum proprii Individui duntaxat; perfecta in bonum speciei; perfectiora in bonum generis; Deus autem cujus est infinite perfecta bonitas, in bonum totius entis fertur. Quocirca planum inquirunt, videtur, nihil ad boni rationem magis spectare, quam seipsum diffundere.

Sed † nihil nobis obstat adducta ratiocinatio, licet enim Definitio 7. nostra singulis bonis primo non competat, quia non omnia quod vis particulare bonum appetunt, bono tamen in communi procul dubiò convenit. Hoc enim expetunt omnia, quum in singulis bonis, quæ res quæque optant includatur. At bonis etiam Particularibus prædicta Definitio secundaria aatione aptari debet, quia & bona particulatim sumta, dici queunt appeti ab omnibus, quatenus quæq; res appetit suum bonum, & bonum cujusq; est id, quod unum quodq; appetit. Et hoc etiam pacto, definitio Principiorum, 1. Phys. (Principia sunt, quæ nec ex se, nec aliis, sed ex ipsis sunt omnia) principiis particulatim sumitis accom-



modatur, Dicuntur enim composita naturalia esse, id est, constare aut fieri ex iis Principiis ita acceptis: licet enim non omnia è quibuslibet indefinitè sint unumquodq̄, tamen est ex suis.

2. Ast † hic unum obiter summè animadvertendum; quòd enim bonum dicitur diffusivum sui, id sub quadruplici causarum genere intelligi posse. Sub genere causæ Finalis, quatenus motione Metaphorica allicit appetitum. Sub genere causæ efficientis, quatenus aliud quippiam efficit, ut Lux lucem, sub genere causæ Formalis, prout sese alteri tribuit ipsum actuando & perficiendo, quopactò Forma se Materie communicat. Sub genere deniq̄, causæ Materialis, prout se alteri dat fovendo, sustinendo ve illud: quæ Causalitas est propria Materie respectu Formæ; & subiecti comparatione accidentium quæ recipit. Ut igitur aliquid dicatur diffusivum sui, sat est aliquo horum modorum posse diffundi.

## QVÆSTIO IX.

### Utrum Finis & Bonum sint idem?

1. Quæstio † hæc bifariam sumi & intelligi potest: vel Formaliter, ita ut ratio Formalis utriusq̄, eadem sit; vel quoad Fundamenti reciprocationem; ita ut nihil sit bonum, quod non etiam rationem Finis sortiatur, & contra: Deinde hoc posteriori modo, vel sumi actu, ita ut quicquid est actu bonum, sit actu finis, & è converso: vel potestate, ut omne bonum sit Finis actu, vel Potentia. Rursus vel accipi Comparatione Creaturarum duntaxat, vel etiam comparatione Dei. Quibus sic positis iam hac triplici assertione Quæstio enodabitur.

2. 1. Bonum & Finis Formaliter non sunt idem, quia bonum quòd bonum significat relationem convenientiæ; At Finis qua finis, importat relationem Causæ Finalis: unde & bonum definitur id quod conveniens est; Finis verò id cuius gratia cætera fiunt.

3. 2. Bonum † & Finis quocunq̄ modo sumantur non sunt idem quoad fundamenti reciprocationem respectu Dei, si sermo sit de internis divinis actionibus: quia bona divina comparatione actus divini amoris, non habent rationem Finis; alioquin divina bonitas exerceret causalitatem erga divinum actum, sicque in Deo aliquid esset Causatum, quod nefas est dicere. Veruntamen si sermo sit de actionibus externis,
- saler



tales sunt propter finem, quatenus Deus unum opus per aliud efficit; ut  
Incarnationem verbi divini propter hominum salutem, & omnia pro-  
pter se juxta illud Prov. 16. Univerſa propter ſemetipſum opera-  
tus eſt Dominus.

3. Bonum actu + & Finis actu comparatione creaturarum non  
idem ſunt, quoad reciprocationem; ſunt tamen aliquomodo idem, ſi  
ſecundum poteſtatem ſumantur.

Prius ex eo patet, quia licet omne, quod eſt actu Finis rei create  
ſit actu bonum, non tamen quicquid eſt actu bonum, eſt etiam finis: ut  
patet tum aliis exemplis, tum in auro, quod ab ejuſ contempore minime  
procuratur aut appetitur: at que ita reſpectu illius non habet rationem  
Finis, eſt in ſe actu bonum quidpiam ſit Poſterio etiam membrum huius ter-  
tiæ aſſertionis idem conſtat: quia quicquid poteſt reddi bonum, & conve-  
niens, reſpectu alicujus, eſt tunc comparatione illius non ſit actu bonum  
& conveniens. poteſt ſuapte natura ab eo appeti, habereq; rationem Finis  
reſpectu illius: & econverſo, quicquid poteſt ab aliquo expeti, & obtinere  
rationem finis comparatione alicujus, poteſt eſſe eidem conveniens &  
bonum vel ſaltem ut tale apprehendi. Hi intellectis clarum eſt, quid  
de Propoſita re ſentiamus.

### QVÆSTIO X.

An Leges ſermone parum uſitato conſcri-  
bendæ?

Petrus † Galatinus de arc: Catech. Relig. ex Thalmud Iudaos  
rum recidat ejuſmodi ſomnium; Moſen in monte Sinai accepiffe à  
Deo, non tantum ea, quæ ſcripſerit; ſed etiam myſticam & arcanam Le-  
gis explicationem, quam viva tantum voce tradiderit, & poſteritati  
tradendam communicaverit. Vnde propter hanc cœleſtem Legum ori-  
ginem, utq; vulgo magis eſſent admirationi, concludit, Henric. Salm.  
in Notis ad Pancirol. de rebus memor. cap. de Fibula, pag. 374.  
myſticum occultumq; nec cuiſlibet obvium earum debere eſſe ſenſum.  
Cicero quoque 3. de Legibus docet Tabulas Decemvirales dicen-  
di genus exoletum, & authoritate venerandum uſurpaſſe. Alii  
etiam ex decreto Greg. 13. ſtatuumt preces quoq; vulgari ſermone, (ne  
voces vulgares vulgus contentemnat; quod inauditas ſolet demirari,  
ſiquidem ineffabilia & arcana verba audientium animos magis  
moverent,) non eſſe recitandas. Valeſ. de ſacra Philoſ. c. 3. fol. 61.

Sed



Si litis inanibus horum somniis, cum Piccolom. 10. grad. c. 28. statuimus, finem Legum esse, ut civibus omnibus ejusmodi vivendi norma proponatur, per quam congruenter se parent, recteque erga alios disponant. Item cum Leone Imper. qui ait, Leges debere esse omnibus pro norma vivendi, tam ignavis, quam mulieribus & pueris. Ac (ut censet etiam Greg. lib. 10. de Repub. cap. 5. n. 22.) praesertim pro judicii norma, inferioribus, Magistratibus praescribuntur.


3. Quomodo & autem hunc finem consequentur Leges, si inusitato, si Obscuro, & ambiguo sermonis genere conscribantur & proponantur? Quis etiam normam flexibilem, obscuram & dubiam probare poterit? Certè ejusmodi Leges nil nisi Eridos pomum in Remp. projiciunt, illis occasio certissima datur, ut forenses (loquamur ita cum Poeta Taubmanno,) Cerberi, locululei furfures, pecuniam simplici Plebesula crumenimulgis eliquent fabricis, & litium strophas in extricabiles fingant refingant. En ejusmodi confusionibus, erroribus, fraudibus haec inusitata & ambigua viam sternunt. Verum pejus in Legibus constituendis errare, quam hominem interficere, quàm talis error, non unum sed multos per multa secula interficiat. Vnde & Plutarchus testatur, Soloni etiam vitio datum, quod quaedam obscurius in Legibus proposuisset suis.

Quae tandem pro priori parte adferuntur, vel falsa sunt, vel falsò adbibentur.

Finis disputationis Quintæ.















DISPUTATIO V.  
Centuriæ Quartæ.

**QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM**

*In Inclytâ VVittebergensi Academia*  
Proposita:  
PRAESIDE  
**M. IACOBI MARTINI**  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE  
**GABRIELE PASTORIS**  
Szentimonio Vngaro:  
*Ad 20. Ianuar. horu à 6. matutinis in auditorio col-  
legii veteris.*

VVITTEBERGAE  
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1608.

